**Disputatio medica, de ipecuanha [sic], novo Gallorum antidysenterico ... / [Christoph Friedrich Kneussel].**

**Contributors**

Kneussel, Christoph Friedrich, active 1695-1698.
Valentini, Michael Bernhard, 1657-1729
Justus Liebig-Universität Giessen

**Publication/Creation**

Gissae-Hassorum : Typis Henningi Mülleri, 1698.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/wuh6gcz3

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

A. Ω.

# DISPUTATIO MEDICA, DE IPECUANHA, NOVO GALLORUM ANTIDYSENTERICO,

Quam

ANNUENTE JEHOVA
IN INCLYTA ACADEMIA LUDOVICIANA
*Sub PRÆSIDIO*

D. MICH. BERNHARDI VALENTINI,
*Phil. & Med. Prof. Publ. Ord.*

E CATHEDRA PUBLICA VENTILABIT
*A. & R.*

CHRISTOPH. FRIDERIC. KNEUSSEL,
*Mœno-Francofurtensis,*
Die Mart. H. L Q. C.

---

GISSÆ-HASSORUM,
*Typis Henningi Mülleri, 1698.*

A. S.

# PROOEMIUM.

*Specificorum medicamentorum existentiam qui negant, Naturæ æque ac sanæ Medicorum Arti vim mihi facere videntur maximam. Quemadmodum enim possibilitatem eorum modumque operandi in natura fundatum esse docet* F. Hoffmannus in Disp. de Med. Specif. *veraque Modernorum Philosophiæ minus contrariari ostendit Illustris* Boyle, Tr. de Specif. Med. conven. cum Philos. Corpusc. *ita fidissima rerum Magistra, Experientia, summam eorum & efficaciam & utilitatem ad oculum demonstrat.* Quajaci *sanè vires in curandis affectibus ♀reis non vulgares sunt, sed specificæ.* Sulphuris *in affectibus cutaneis efficacia planè singularis est ejusque speciem quandam arthritidis vagæ remedium esse certissimum, methodo cujusdam Medici Celeberrimi*

*constat.* Corticem *v.* Peruvianum *febribus aliisq; affectibus periodicis specificè contrariari, quis ignorat? Et utinam plura hujus generis simplicia nobis innotescerent! siquidem vix aliâ semitâ ad summam Artis Medicæ perfectionem tandem devenire morbosque certius edomare poterimus. Novum hujus rei Specimen dedêre Galli, qui radice quadam, IPECUANHA dicta & per Lusitanos ex Indiis allata, non tantùm Parisienses suos, sed & maximam copiarum Bellicarum partem à Dysenteria, morbo ut spurcissimô, ita & gravissimô, liberarunt, ut non tantùm fama, sed & Regis sanctissimâ subscriptione munita diplomata nuper confirmarunt; Ita enim Excerpta ex literis patentibus Regiis, à D.* Helvetio *& abhinc à Dn.* Leibniziô *nuper evulgata*

„ *attestantur, quæ ita se habent:* Ludovicus
„ *Dei gratia, Rex Franciæ & Navarræ &c. &c.*
„ *Nostris dilectis & fidelibus Consiliariis & aliis*
„ *Officialibus, ad quos pertinebit, salutem &c.*
„ *Mandato nostro Remedium hoc Specificum*

(sine

( *sine recidivæ periculo, Diarrhœam, Fluxum* „
*sanguinis & Dysenterias infallibiliter persa-* „
*nans ) diversis experimentis examinatum com-* „
*probatumque & in Hospitali Generali & in* „
*Hospitio Dei* ( hostel Dieu ) *Urbis no-* „
*stræ Parisiorum , successitque indiscrimi-* „
*natim in omnibus omnino ægris , tali genere* „
*morbi laborantibus , etiam maximè desperatis.* „
*Præterea Consiliarius noster & Archiatrorum* „
*Comes, DAQUINUS, multa experimenta* „
*& sumsit ipse & per alios sumi curavit , quæ* „
*omnia eundem prorsus successum habuere, quem* „
*ad nos retulere* Legerius *Doctor Facul-* „
*tatis Medicinæ Parisinæ &* Gatelenius „
*Chirurgus, quibus perquisitio in hanc rem à no-* „
*bis fuit commissa &c. Quandoquidem autem nobilissimum hoc medicamenti genus Nostris in Regionibus ne quidem nominetenus cognitum sit, hinc suasu & manuductione* Ampliss. *pariter ac* Excell. Dn. Præsidis, *Fautoris ac Patroni piè colendi, illud quam dignissimum existima-*

*vi, quod pro argumento* Disputationis publicæ: *seligerem & quantum in Exteris de eo hactenus mihi innotuit, in publicum producerem, haud alium in finem, quàm ut Jehovæ Triunius Gloria magis celebretur, Ægrorumq; salus facilitetur, id quod faxit DEUS!*

# CAPUT I.

## DE NOMINE, DESCRIPTIONE & HISTORIA IPECUANHÆ.

### §. I.

VT alia ex Indiâ utrâque ad nos allata simplicia, pro varietate Nationum, à quibus sive observantur, sive colliguntur, variis simul nominibus donantur, ita & Radici, de qua agimus, hoc accidit, quæ Brasiliensibus *Ipecuanha* & si Marggravio credendum, Ipecacuanha, ab aliis Hypoacanna & Cagosanga dicitur, HISP. Bexugillo l. Beguquella, Beculo, Beloculo: LUSITANIS Cipo de Cameras, GALLIS Becouguille ou Mine d' or, seu auri minera, vocatur, quùm non alibi, quàm prope ☉ mineras succrescat, quæ ultimum ipsi nomen tribuerunt. Aliis a Regione Radix Brasiliensis & ab effectu Radix Dysenterica audit. Hinc breviter describi potest, quod IPECUANHA sit Radix Exotica, nodosa & quasi geniculata, curandæ Dysenteriæ specificè dicata.

II.

II.

Occasionem, quâ Europæis primùm innotuit, superiori jamdum anno ex Illustris Leibnitzii *Relatione ad Nat. curiosos*, *de Novo Antidysenterico Americano*, dedit *Excell. Dn.* Præses, in Præfat. *Disp. de nova Herniarum cura Regis Galliæ*: Mercator sc. Gallus GRENIER 150. libras hujus Radicis ex Hispaniâ Parisios attulerat eamque experientiæ D. Helvetii Jun. commiserat, qui in Nosocomiis probatissimas Remedii hujus vires expertùs, rem tanquam à se inventam, ad Regem detulit & obtento non tantum munere, sed & Regio privilegio, (cujus ipse HELVETIUS mentionem facit in Dedicat. lib. *de curat. febrium per Chinam Chinæ in Clysteribus*, Parmæ Italicè quoq; editi) liti, quæ inter Mercatorem & seipsum in Curia Parisiensi agitata fuit, occasionem dedit; Et hinc ferè est, quod citatus Helvetius remedium hoc sive primum invenisse, sive in usum traduxisse aliisque manifestasse, a quamplurimis censeatur. Ast licet eodem ferè tempore novam hanc Dysenteriæ curationem (suppresso tamen Remedii nomine) publicæ luci exposuerit, non tamen primus ille fuit, qui eam sive descripsit, sive exercuit, cùm non tantum A. 1690. Mense Januario theses quædam *de Radice Brasiliensi* in Scholis Med. Parisiensib. ventilatæ sint, sed & expresso nomine fusè eandem descripserit Guilielmus Piso, in *Histor. Naturali & Med. Brasiliæ*. Quid quod jam à viginti & quod excurrit annis eandem se Parisiis vidisse asseveret Petrus Pomet in *Historia generali simplicium*, Gallicè conscripta, *Lib. 2. c. 1. pag. 46. & seqq.* ubi dicit: il y a plus de vingt années, que

i'en

i'en ay vu à Paris, pour preuve c'eſt, qu'il ſ'en eſt trouué une aſſez bonne quantité dans la boutique du feu le S. Claquenelle, Maître Apoticaire, qui tomba entre les mains, du Sr. Poulain ſon gentre, auſſi Apoticaire, qui l'a remis en uſage, par ordonnances du Sr. Helvetius. Cur autem tot annis ante latuerit in officina Pharmaceutica, quàm in uſum traducta fuerit, ſine dubio in causâ fuit, quòd vires ejus & utendi modus adhuc fuerint incognita, quæ Grenerii relationi & communicationi debet Helvetius.

III.

Quod hiſtoriam ejus naturalem & in ſpecie LOCUM NATALEM attinet, certum primò eſt Radicem hanc ex Americâ ad Nos adferri. In quanam verò hujus parte proveniat, non ita planum eſt. Grenerius ſupra citatus in *Notis ad methodum medendi* ab Helvetio editam, ex Peruvia obtineri cenſet, æque ac corticem febrifugum quem Peruvianum alias à loco natali vocant. Piſo econtrà è Braſilia ad nos transferri adſtruit, unde & herba ejus Planta Braſilienſis Marggravio dicitur. His è Modernis adſtipulatur Pometus l. c. qui radicem hanc à Batavis & Luſitanis ex eo Braſiliæ tractu, qui Rio de genecyro dicitur, apportari perhibet, quod nomen fluvii eſt, Americam Meridionalem alluentis. Propterea tamen negari non poteſt etiam per Hiſpanos ex Peruvia afferri, cum obſervante Illuſtri Leibnizio multa Simplicia Braſiliæ & Peruviæ communia ſint, ipſumque Balſamum Peruvianum etiam in Braſilia reperiatur.

IV.

IV.

Planta hujus radicis B. Dn. Hermanno *Præceptori meo ad urnam* usque *fidelissimo* dicitur repens ipsique videtur annua. Pomet è contra plantas omnium Specierum (de quibus infra) partim repentes, partim erectas esse statuit, ita ut ad altitudinem dimidii pedis ascendant, quarum folia parietariæ haud dissimilia, è quorum mediô flores albicantes V petalorum erumpunt, parvis capitulis insistentes, baccas fusci coloris proferentes, quæ maturitatis tempore obscurè rubent, crassitie cerasi sylvestris. Baccæ hæ pulpam albicantem & succulentam comprehendere dicuntur, in quâ bina grana eaque dura & flavescentia, lenticularis figuræ, continentur, *vid. citat.* Pomet. Piso verò aliter plantam Ipecuanhæ Albæ, aliter Nigræ describit, quarum priorem in pratis repentem, alteram vero in locis opacis & nemoribus densioribus plus minus erectam reperiri censet, ejusque figuram addit.

V.

Collectio radicis hujus iis, qui ad metalla damnati sunt, committi dicitur, è quibus tamen solertissimus & laboriosissimus per integrum annum vix ultra XII libras colligere valet, quod ipsum pretium ejus tantoperè augere solet. Libra enim ejus in Batavia XXX. florenis si non tot imperialibus & ultra venire solet; unde nostris in Regionibus parca manu, cum primis in pauperibus, præscribi potest. Quô tempore autem colligi debeat, ex communi illa Regula constat, quâ herbæ in flore, radices in vigore colligi jubentur. Post collectionem exsiccata servari potest in multos annos, cum ob resinositatem non

facilè vires deponat antidotales diaphoreticas, licet aliquid de emeticâ perire soleat.

## CAPUT II.

### DE SPECIEBUS IPECUANHÆ EJUSQUE SELECTU.

§. I.

BInas Ipecuanhæ Species reperiri, suo jam tempore ostendit Piso, Nigram scil. & Albam; vid. *Hist. ejus Nat. & Med. Brasiliæ lib.* 4. *cap.*53. *pag.*131. Gallus verò suprà citatus Tertiam addit, flavescentem, dum in *Appendice* libri supra allegati inquit: On apporte trois sortes d' Ipecuanha d' Amerique, sçavoir la noiratre, la blanche & la blonde: quæ postrema verò, nî fallor, proles est herbæ Caapiæ dictæ à Pisone supra cit.

II.

IPECUANHA NIGRA communis est Species è Brasilia ad Nos delata, quam fusè describit Piso, qui primus omnium Specifici hujus antidysenterici mentionem fecit. Radix est digiti ferè longitudinem adæquans, crassitie calami scriptorii, flexuosa, inæqualis & quasi geniculata, plurimis asperisque in superficie circulis aut annulis exasperata, extus fusca, intus grisea, sapore subacri & quodammodò amaro nauseoso, linguam masticata mucilagine quadam quasi investiens, resinosa simul & pinguis, unde quoque durabilitas ejus deducenda, siquidem resinosa diutius asservari possunt, quam omnovolatilia: Mitescere tamen tempore & acrimoniæ aliquid deponere, inde patet, quod recentior magis acris sit & nauseosa, quàm exsiccata.

III.

III.

ALBA, quæ IPECUANHA BLANCA Lusitanis audit, rarior est & penes Europæos non æque usualis. Adfertur pariter ex Brasilia, & in eo differt à priori, quod radicibus gaudeat albicantibus, ad been album vel rad. dictamni albi proximè accidentibus. Folia autem acetosæ folio rotundo similia sunt, licet alii pulegio eandem asfimilent. Discrepat etiam intuitu figuræ & superficiei externæ, siquidem gracilior est priori, nec tot zonulis gaudens, nec adeo amara. De reliquis ratione usus differentiis in cap. seq. fusius dicetur.

IV.

FLAVÆ denique nemo, quod sciam, unquam mentionem fecit, præter unicum Pometum, qui in *appendice* operis sui supra laudati sequentia de illa refert: Flava, *inquit*, ex Peru adfertur per Hispanos, quibus „ Bexugillo audit, quod in vernacula nostra Becouguille „ sonat. Crassissimæ ejusdem radices tres præterpro- „ pter lineas æquant crassitie. Radices sunt intortæ, „ annulis quibusdam exasperatæ & flavescentes, per „ quarum longitudinem nervus seu fibra trajicitur ipsis „ pallidior, hæcque fibra cortice circumdata est, lineæ „ crassitie, fragili, si bene exsiccata est, amara, resinosa „ & in qua virtus medicamentosa potissimum concen- „ trata est. Eæ quæ ordinariò venum prostant, vix uni- „ us vel alterius lineæ crassitiem habent, nihil tamen ob- „ stat, quo minus insimul optimè conducant.

V.

Ex his omnibus palmam ducit flava, quæ supra auri mineras reperitur, in apicibus montium, cum reliquæ binæ Species in eorum radicibus, vallibus, pratis aliisque

locis succrescant, id quod in causa est, quod hæc & rarissima omnium & carissima sit, eoque magis, quod & virtutibus reliquas antecellat. Nigram enim nimis vehementem, albam vero exiguæ virtutis esse testatur Leibnitzius *in Epist. supra alleg.* §. 15. Europæi nigra fere sunt contenti, quæ cum adulterari soleat (ut exoticis ferè omnibus commune est) & sæpissime minus recte depurata ad Nos transmitti, hinc selectus quidam instituendus. Eligatur ergo recens, carnosa, compacta, nec fragilis, substantia gaudens resinosa, & quæ per medium sui tractum fibram aut nervum transmittat, saporis acris amari & nauseosi. Maximoperè autem cavendum, ne fibris propriis & appendicibus permixta sit, quas ii, qui eandem nobis afferunt, illic relinquunt, ut pondus augeatur & pretium, quandoque etiam innocentes, cum signum bonitatis raro ipsis notum sit. Eæ enim tantum radicis partes ad Medicinam antidysentericam aptæ sunt, quæ annulis & circulis circumdatæ sunt: Glabræ econtra appendices, si non omni, antidysenterica tamen virtute prorsus destitutæ sunt. Præstat quoque ea, quæ cortice densiori & crassiori prædita est, hæc enim potentior, resinæ intuitu, quæ in cortice magis concentrata est.

## CAPUT III.

### DE QUALITATIBUS, USU & DOSI IPECUANHÆ.

#### §. I.

Licet Specifica medicamenti hujus vis à textura ejus formali potissimùm dependeat, unde tota sui substantia agit, juvabit tamen in particulas eandem constituen-

tes indeque profluentes qualitates ulterius inquirere, quæ uti partim fixæ, partim volatiles sunt, ita harum intuitu, radix hæc calida est & acris: Illarum verò ratione adstringens: Utrisque amarities debetur saporque nauseosus, unde facultas ejus tam emetica, quàm alexipharmica deducenda, quarum posterior in Ipecuanha alba, prior in reliquis duabus Speciebus magis observatur. Interim hoc quoque prætereundum non est, quod in quibusdam subjectis non semper ἄνω, sed quandoque κάτω humores p.n. educat, non aliter ac in emeticis vulgaribus quandoque fieri solet. Præter hasce nominatas qualitates Piso illi tribuit quoque facultatem mentem serenandi ac infarctus resolvendi.

II.

Non sine causa igitur radix hæc tanto in pretio habetur à Brasiliensibus, qui ut virtutes ejus Nobis primi revelarunt, ita eandem religiosè reservare dicuntur, quum Pisone teste præstantius remedium adversus plurimos morbos in his terris non reperiatur. Quam maximè vero in quibusvis alvi fluxibus, Dysentericis imprimis compescendis, se admirandam præbet, cùm non materiam solum morbificam, utut tenacissimam à parte affecta revellat, (sit verbo venia) eamque per superiora utplurimum expellat, sed & adstringendo viscerum tonum restituat. Hoc enim præ omnibus adstringentibus habet peculiare, quod antequam fluxum sistat, vomitum prius moveat, ut Rhabarbarum prius laxare solet, quam adstringere. Quid quod & virtute alexiteria miasma dysentericum per poros cutis exterminet, adeoque triplici ratione ad morbum hunc subigendum conducat, vomitum prius, abhinc sudorem & tertio adstrictionem cau-

 sando,

ſando. Quantum enim adſtringentia alexipharmacâ vi ſimul prædita ad curandam Dyſenteriam faciant, tormentillæ radix docere poteſt, qua ſola pauperculi ſæpe haud infeliciter utuntur. Cum ergo omnia, quæ in quamplurimis antidyſentericis ſigillatim reperiuntur, in unica hacce radice, tanquam in exquiſitiſſimo naturæ munere (ut Piſoni audit) concentrata quaſi ſint, hinc & in Dyſenteriis inveteratis, etiam illis, in quibus inteſtinum rectum à materia adhærente eſt exulceratum, convenire dicitur à Pometo. Laudatur quoque in Teneſmo, ſi à materia cruda & plus minus acida è ventriculo & meſenterio ad inteſtina derivata & hinc revellenda, oritur; & cum in caſtris Dyſenteria quam maximè ex ſimilibus cruditatibus malaque Diæta propullule, hinc mirari non ſubit, copias Gallicas curâ Marchionis de Louvois, Miniſtri Regis Primarii, Specifico hocce in ultimo bello ſervatas fuiſſe.

III.

Notabile vero & in Praxi maximè proficuum eſt, quod eadem Radix in febribus intermittentibus inſigniter conveniat, ubi opus eſt purgatione, & quidem citra recidivæ metum, quam cortici Peruviano vulgo tribuunt, uti ex propria experientia comprobat B. Hermannus, qui in tali caſu Ipecuanham tum in ſubſtantia, tum in infuſo feliciter ſemper præſcripſit. In ſubſtantia quidem hac ratione:

Rec. *Rad. hypoac. pulv.* ℈ij. *vel* ʒj. D
ex juſculo vel ▽ card. bened. vel vino abſynth.

Pro infuſione utitur vino abſynth. in dupla doſi.

Nec

Nec dubito in aliis pariter febribus ardentibus, cumprimis malignis, Diarrhoeam in specie conjunctam habentibus, egregie convenire, cum materiam peccantem per vomitum expellendo, non Diarrhoeam modo sistere, sed & cardialgiam aliaque symptomata alleviare valeat.

IV.

Tandem DOSIN quod concernit, in ea quodammodò discrepant Authores. Guilielmus Piso in pulverem redactæ ʒi. pro dosi exhibet: In infuso vero ʒij. plus minusve. Pomet paulò concisiorem dosin commendat, ita ut in substantia ordinariò ʒß. & ad summum ʒi. in jusculo aut alio quovis vehiculo; In infuso verò duplum concedat. Hermannus è contra adhuc minori quantitate contentus pro dysentericis in pp. rarò ultra ℈j. propinat, nisi in robustioribus, ubi dosin ad ʒß. augeri jubet: In infuso vero pariter ʒij. exhibebat: In febribus utrobique duplicando dosin. Hæc vero omnia in Ipecuanha nigra flavaque solùm observanda, in alba enim non æque peccare poteris, utpote quæ adeò leniter operatur, ut gravidis etiam & infantibus eam propinare soleant, reliquas non æque. Quodsi verò & priores illis dare velis, lactantibus & nondum trimulis detur octava pars dosis, qui vero trimuli, decimum tamen ætatis annum nondum excesserunt, iis quarta pars satis erit: X supergressis sed nondum quindecennibus tertia: Ab anno XV. ad XX. dimidia. Quæ m. delicatis senibus & gravidis sufficiet. Robustioribus à XX. ad LX. annum dosis solita, *vid.* Helvetius *pag.* 17.

CAP. IV.

# CAP. IV.

## DE FORMA MODOQUE EXHIBENDI.

§. I.

CÆterum ut in omnibus medicamentis drasticis & efficacioribus cautela opus est & circumspectione, ita, non obstantibus iis, quæ hactenus de miris remedii hujus utilitatibus & commodis dicta sunt, nemini suaderem absque insigni præmeditatione & consilio prudentis Medici eo temerè abuti, cùm, ut reliquis omnibus vomitoriis commune, violento motu agat; Hinc antea citatus Helvetius methodum utendi novo hoc remedio contra diarrhœas, dejectiones sanguinolentas & dysenteriam Lingua Gallica typis nuper expressit, suppresso tamen medicamenti nomine, quod nemini nisi unicæ Regiæ Majestati se aperuisse scribit; Quæ variis tamen vanisque circumstantiis & ambagibus est larvata, unde methodum hanc minus naturalem, sed occultandi medicamenti causâ editam esse, sincero animo & justo dolore manifestavit Dn. Grenerius *in animadversionibus suis brevibus in methodum Helvetianam*, ubi quoque primam medicamenti hujus productionem sibi vindicat.

II.

Primò ergo omnium ponderandum, an è re tum ægri, tum ipsius Medici sit exhibere hoc remedium? Dantur enim casus, ubi meritò ab eo abstinere decet, ne remedio novitate forte jamdum suspecto enecasse videamur eum, quem sors aut natura occiderat. Fieri hoc posset in iis, quibus nimia mali diuturnitate delirium, singul-

ſingultus, vomitus cum tenſione dolorifica in infimo ventre dejectionibusque fæci vini aut loturæ carnium ſimilibus, cadaveroſi odoris, oborta ſunt, quæ cum certa indicia ſint gangrænæ, inteſtina corripientis, hinc fruſtra illos ſalutem ſperaturos cenſet citatus Helvetius, qui & Phthiſicos atrophia laborantes, Hydropicos eosque quibus inſignis jam corruptio in infimo ventre accidit, à numero ægrorum hac arte ſanabilium excipit, quoniam fluxus ventris his ſuperveniens caloris nativi extinctionem & propinquam mortem indicare, in praxi obſervatur. Itaque ab hoc remedio dilationem aliquam, morbi curationem verò neutiquam ſperare poterunt.

III.

Rebus autem & viſceribus adhuc integris feliciſſimè & cum certa reconvaleſcentiæ ſpe adhiberi poterit, & quidem in ſubſtantia, quâ inſtar aliorum ſpecificorum, China Chinæ, v.g. plus agit, quàm per varias & quandoque juſtô curioſires præparationes; licet nullus dubitem è cortice (in quo ejus virtus ferè reſidet) reſinam aliquam, tincturam aliaque obtineri poſſe. Quam primum ergò ad dyſentericum vocatus fuerit Medicus, ſtatim præſcribat ſequens:

Rec. *Rad. Ipecuanh. præpar.* ℈j.

D. in ▽ *plantaginis* aut *tormentillæ.*

Quodſi à prima doſi non ſiſtatur fluxus, alterâ die manè ſecunda repetatur, & ſi opus, tertia quoque perendie; hac omnes curantur ægri, ſi alioquin malum adhuc ſanabile exiſtat. Poſt abſolutos vomitus, quos ciet, aut ſtomachicum aliquod, juxta methodum Helvetii & Pometi detur, quô ſtomachi & inteſtinorum tonus re-

ſtiruatur, aut ductu Sydenhamii paregoricum, quod propinatô mane vomitorio, tempore veſpertino dari jubet. Helvetius extollit Elixir ſuum ſtomachicum è ſantalo rubro, terra catechu & aromaticis paratum, cujus tamen loco ſimpliciſſimum panem toſtũ cum vino Hiſpanico, poſt paſtum aſſumptum, laudat Grenerius. Pomet ſequentem potiunculam habet

Rec. ▽ *ſcab.*
*card. bened. ana ℥iß.*
*conf. de hyacinth. ℥j.*
*⊖. abſinth.*
*C. C. præp.*
*corall. rubr præp. ana ℈j.*
*Syr. fl. tunic.* vel *abſinth. ℥j. M.*

Quandoque huic aut ſyr. papav. alb. aut laudanum opiatum felici cum ſucceſſu addit. Quod autem vomitum, qui ex medicamento imminet, evitari & ſupprimi velit Helvetius, falsò (obſervante Grenerio) præcipitur, cùm vomitus effectus ſit remedii naturalis, ita quidem ut mali ominis ſit, ſi poſt aſſumtionem medicamenti hujus nec motus, nec anxietas, nec vomitus, nec ſedes, nec nauſea ſequantur, cum æger tunc utplurimùm pereat, quia Natura ejus ſuccumbit, ut non poſſit agere in medicamenta, nec medicamenta in ipſam, id quod & in aliis vomitoriis ꝫtis obſervavit Hermannus in MSS.

IV.

Sin vero grave fuerit ægris in pulvere & ſubſtantia radicem hanc aſſumere, ut palato eorum aliquid demus, ſequenti modô infundi poterit:

Rec.

Rec. *Rad. Ipecuanhæ* ʒij. infunde vin. rubr. ſtent in loco calido per noct. mane col. exhibe.

Dum verò plane reſpuunt & ore haurire prorſus nequeant, in forma clyſteris quoque applicari poterit, ut in Gallia fieri ſolet, hac ratione,

Rec. *Rad. Ipecuanha* ℥ß.
vel ʒiij.
tere in pulv. M. c. *Decoctô* & injice tepidè.

# CAP. V.

## DE SUCCEDANEIS IPECUANHÆ & DIÆTA ſub curâ obſervanda.

### §. I.

QUid tandem, ſi, vel ob defectum, vel nimium Ipecuanhæ pretium, hæc medendi methodus in cura Dyſenteriæ adhiberi nequeat? Annon è domeſticis noſtrisque in terris creſcentibus ſimplicibus illi quædam ſurrogari poterunt? Sane ſi vim ejus ſpecificam conſideres, vix ac ne vix quidem de ſimili ſuccedaneo cogitare licet. Neque triplex illa facultas, emetica ſcil. adſtringens & bezoardica, in uno eodemque ſimplici facilè occurret. Nihil tamen impedit, quò minus in effectu haud abſimile compoſitum illi ſubſtituamus, quod facili operâ obtinebis, ſi radici tormentillæ, quæ & adſtringit & bezoardica eſt, vomitorium aliquod maritemus, ſequenti modo:

Rec. *Rad. torment.* ʒß.
*Tartar. emet. gr. ij.*
*ther. cœleſt. gr. ij.* M. D.
pro doſi.

Cum enim potissimus Ipecuanhæ effectus sit, saburram morbosam per vomitum excludere, nullus dubito, quin aliud emeticum similem edat effectum, dummodò tempore legitimô adhibeatur.

§. II.

Jam quæstio suboritur, an in Dysenteria quoque conveniant emetica vulgaria ? Si Scriptores Practicos eorumque Systemata inspicias, videtur, quod non : Pauci enim vomitoriorum in hoc morbo curando mentionem faciunt. Verùm si ullibi, sane hîc locum invenire existimo querelam Celeberr. Dn. Ludovici, qui plures ex intermissione emeticorum interire credit, quam ex illorum usu. Vomitum autem in Diarrhoeis & Dysenteriis summoperè conducere, ex *Aphor.* 15. *sect.* 5. Hippocratis apparet, in quo non tantùm vomitum spontè supervenientem, sed & arte concitatum comprehendi, Guil. Piso non sine causa statuit. Imo ipsa Experientia hujus subscribit judicio, cùm Felicissimus Sydenham, Anglorum quondam Machaon, in fluxibus alvi symptomaticis, sub cursu febrium supervenientibus, vomitoria cum euphoria insigni dederit & Excell. Dn. Præses omnibus aliis irritis solo Tartari emetici usu Dysentericum restituerit, ut ex obs. *Ann.* 2. *Dec.* 2. *Miscell. Acad. Germ. curios.* inserta apparet. Quid quod & Ratio id suadeat, quùm saburra illa dysenterica in confiniis ventriculi si non generetur, ad minimum segregetur, unde nausea eaq; salutaris, cùm teste sæpius allegato Pometo, in *Appendice operis sui*, nulli unquam, quibus post assumtionem medicamenti nausea molesta non fuit,

recon-

reconvaluerint. Id quod fidem ipsi facit, ventriculum non tantùm hoc in morbo à saburrâ peregrinâ obrutum esse, sed & M. S. per glandulas, eundem non minus, quam totum tractum, qui primarum viarum nomine venit, investientes, serositates quamplurimas deponere, quæ salia heterogenea & inæqualia, morbum huncce producentia eò devehunt; hæc vero si in eo non deturbentur, sed in M. S. restitent, alios morbos quandoque graviores inducere valent.

III.

Quodsi autem nonnulla sint, quæ vomitum aut dissuadeant, aut planè prohibeant, methodo hactenus receptæ insistere & in Dysenteria benigna Rhabarbarum, tostum prius, abhinc appropriata simul & anodyna: In Maligna vero Bezoardica statim & more Recentioribus recepto opiata propinare poterimus, quo miasma illud Dysentericum, quod per vomitum excludi non poterat, aliorsum reducatur, & antequam ad intestina præcipitetur, per poros cutis exterminetur. Hunc in finem Illustris Wedelius, (cujus benevolæ, qua Jenæ fruebar, manuductionis in omne ævum piè recordari licebit) Tincturam bezoard. cum Ess. anodyna statim exhibet, qua sola innumeros dysentericos se conservasse testatur in sua *Opiologia*. Excell. Dn. Præses olim præsentaneam expertus est theriacam Ludovici aliquantulum camphoratam ac opiatis junctam.

V.

Quamcunque tandem methodum quis sibi eligat in hocce morbo domando, nunquam tamen non DIÆtam simul convenientem & strictam imperet necesse est.

Tenuis itaque & parca, ut in omnibus acutis, ita hic quoque locum habet; corpora siquidem impura quo magis nutriveris, eo magis læseris *aph.* 10. *Sect.* 2. Nocent summoperè acida, salita, acria. Prosunt succulenta & mucilaginosa. In potu sumatur Ptisana aut Decoct. Thee aut simile; fugiatur frigidus cane pejus ac angue. Nec frequenter nimis bibendum, ne stomachi tonus relaxetur. Sufficit gargarismis os eluere, si quando calor & sitis urgeat, vel alio modo ipsam fallere; fugiatur aer fracidus & frigidus. Animus componatur ad tranquillitatem, ne affectibus vehementioribus rapiatur in diversum, qui sanguinem jamdum in mixtura sua turbatum magis commovere Archæumque in furorem agere possent.

*T A N T V M.*

## *COROLLARIA.*

*I.*

*Narcotica (in specie Opium) sunt aphrodisiaca.*

*II.*

*Et per consuetudinem vim narcoticam amittunt.*

*III.*

*Juncta sibi purgantia felicius agunt, quam sigillatim exhibita.*

*IV.*

*Terrea adstringunt alvum & solvunt retentam.*

*V.*

V.

*Phthisin halitu spiritus appropriati, inspirando ad pulmones delato, curabilem esse, ratio dictitat.*

VI.

*Optima infantum (præter Clysteres) remedia sunt laxantia & absorbentia.*

VII.

*Hydropem, imo ipsum Empyema pectoris, per Diuretica sanari testatur experientia.*

VIII.

*Dubito an vulnera cordis sine ulla exceptione sint lethalia.*

IX.

*Tendines musculorum, imo ipsi nervi læsi & rescissi restituuntur, salvo motu partis affecta.*

X.

*Epilepsia Idiopathica solo cauterio actuali capiti rite applicato quandoque tollitur.*

XI.

*Signa Virginitatis usquedum ignota.*

Præ-

# Præ-Nobili & Clarissimo DN.
# *RESPONDENTI*
## S. D.
## PRÆSES.

*COElum non animum mutare, qui (ut in proverbiô est) trans mare currunt, Tuo POLITISSIME DN. KNEVSELI, exemplô mihi constat. Tantum enim abest TE pristinum (quô* Beatissimum DN. Parentem *examussim imitaris) animicandorem in exteris immutasse, ut potius inde Redux majora sinceritatis infucatæ, sedulitatis morumq; elegantiæ documenta Nobis dederis.* Sinceritatem *quidem eô probas, quòd, ut stipulatus eras, relictis aliorum pulpitis, in hâc Academiâ Studio Tuo Medico, quod ante sexennium & quod excurrit, sub manuductione meâ cœperas, gloriosè colophonem addere malueris.* Sedulitatem *Tuam Studiorumq; fervorem* in Belgiô *nunquam non deprædicârunt HERMANNI, BIDLOVII, VOLDERI, SENGVERDII, DECKERI, RVISCHII, CYPRIANI:* in Saxoniâ *VVEDELII, SLEVOGTI, HAMBERGERI.* Sedatam vitæ morumque elegantiam *depereunt omnes, quotquot amicitiâ Tuâ & consuetudine unquam gavisi sunt, aut etiamnum familiariter utuntur, quibuscum, si bene mihi conscius sum, ne ullâ quidem vice heîc in gratiam rediisti. Hinc quos ob studia Tua laudatissima fortè invidos habere poteras, inter spissa propediem gratulantium vota Applausores observabis omnes, si quando LVDOVICIANA Nostra dudum promeritos TIBI* Honores Doctorales *conferet, de quibus æquè ac præsenti* Specimine *in antecessum ex animô TIBI gratulor, faustaque quævis apprecor.* Vale. *Dabam è Mus. d. 27. Febr. A. 1698.*

FINIS.